

cum habebantur; tamen perduellionis iudicium, veteri illo  
 Tulli Hostilii instituto retento, semper vniuersi populi  
 suffragiis factum est. Quotquot igitur apud veteres rerum  
 Romanarum scriptores capit is damnatorum occurunt ex-  
 empla, nihil, post sententiam latam, temporis intercessisse,  
 nisi forte urgente quadam necessitate, satis testantur. At-  
 que eamdem rationem, capit is damnatos veloci poena adfi-  
 ciendi, seruatam fuisse constat, quando, republica in sum-  
 mum discrimen adducta, per sollempne illud senatus decre-  
 tum, DENT OPERAM CONSULES, NE QVID RES PV-  
 BLICA DETRIMENTI CAPIAT, summa reipublicae con-  
 sulibus erat demandata. Quod, vt docet Sallustius *Catil.*  
 c. XXIX. et Cicero in orationibus Catilinariis, eam vim  
 habebat, vt consules de vita ciuium, sine populi iussu, iure  
 statuerent. Facta igitur a senatu condemnatione, de reis  
 statim supplicium sumtum esse, tristissimo exemplo suo  
 docent Catilinariae coniurationis participes, qui, probata  
 a senatu Catonis sententia, statim necabantur. Cuius rei  
 testem, praeter Plutarchum in vita Ciceronis, habemus  
 Sallustium c. LV. Postquam, inquit, senatus in Catonis sen-  
 tentiam discessit, consul optimum factum ratus, noctem, quae  
 instabat, antecapere, ne quid eo spatio nouaretur, triumui-  
 ros, quae supplicium postulabat, parare iubet: ipse, dispositis  
 praefidiis, Lentulum in carcere dedit: idem fit caete-  
 ris per praetores. Et, praemissa loci descriptione, sic per-  
 git: In eum locum postquam demissus Lentulus, quibus prae-

A 3

ceptum